



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Exercitium amoris ad Cor Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

pem esse voluisti: cognitionem tuorum mirabilium infundendo, meque ad cultum tuum alliciendo. Ad te igitur supplex accedo, O Cor millies adorandum! Tu, me, justissimum laudis & adorationis tributum tibi debitum, deferre conantem adjuva: atque in devotorum tuorum numerum adscribi ardentem cupientem admitte. Ecce infinitam tuam dignitatem & excellentiam pronus agnosco. Te quam possum demississime veneror & prostratus adoro. Verum quum plane sentiam, te, vilibus affectionibus meis, pro dignitate honorari nequam posse; ut impotentiae meae quoquomodo & quoad licet suppleam, laudes & honores tibi ab omnibus Angelis & Sanctis in caelo delatos offero. Majus etiam aliquid, ac te dignius deferre audeo: videlicet Cor immaculatum Mariae, quod unum ad te colendum praeter omnibus ceteris aptissimum est. Affectiones ergo meas omnes hujus sanctissimi Cordis affectionibus conjungo: hocque fretus adjutorio ac societate me tibi totum offero, meaque omnia tuae gloriae penitus consecro. Tu vota clemens exaudi, ac perfice. Amen.

*Exercitium amoris ad Cor JESU.*

O Cor amantissimum Jesu, adorandis Filii Dei perfectionibus, amabilissimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens! Tu, cordium omnium nobilissimum, generosissimum, latissimum, liberalissimum, magnificentissimum; simulque mitissimum,

humillimum, purissimum, innocentissimum, patientissimum, misericordia exuberantissimum, denique ardentissima erga homines charitate plenissimum. Tu, Cor Redemptoris nostri, Benefactoris nostri, Amici nostri, Fratris nostri, Patris nostri, Sponsi animarum nostrarum. Tu, immaculatæ Virginis Matris nostræ purissimo sanguine formatum: Tu, principium vitæ humanæ amantissimi Servatoris. Tu, causa & origo pretiosi illius Sanguinis quo redempti sumus. Tu, verus nostrum omnium amator, justos simul & peccatores ineffabili charitate complectens, fons perennis misericordiæ. Tu, amore nostri, grandi vulnere lancea fauciatum. Tu, refugium animarum sanctarum. Tu, grata columbæ requies. Tu, peccatorum nostrorum innocens victima, Dei justitiæ pro nostra salute immensis doloribus immolata. Ecquæ igitur res existere potest, amore nostro ac gratis te dignius? Accipe ergo, O Cor sanctissimum, suavissimum, dulcissimum, amabilissimum, accipe quos offero intimos cordis mei sensus, eosque te dignos effice. Tibi gratias immensas ago pro tua in me & in omnes homines dilectione, innumerisque in nos collatis beneficiis. Me tibi arctissime conjungo: te toto cordis affectu, tenerrimoque præcordiorum sensu complector, & amo. Me tibi totum devoveo, meaque omnia tibi committo. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, tibi amor, tibi imperium cordium in æternum. Amen.

Invo-